est de die. Eamdem distinctionem furis diurni, ac nocturni, quoad ejus occisionem, habet Augustinus, et ex eo translata est in jus Canonicum, Extravag. de homicidiis, cap. *Si perfodiens*. Notandum tamen est, si fur diurnus non tantùm furaretur, sed etiam gladio, vel armis vellet tueri suum furtum, licere etiam illum occidere. Ita Augustinus quest. 84 supra Exodum. Et sancitum est in jure civili, l. furem, ff. ad legem Corneliam, de Sicariis.

DE USURA.

5. De usura extat duplex lex: Una Exod. XXII, 25: «Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui «habitat tecum, non urgebis eum, nec usuris opprimes.» Altera Deut. XXIII, 19. «Non fœnerabis fratri tuo ad «usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam «rem; sed alieno. Fratri autem tuo absque usura id, «quo indiget, commodabis, ut benedicat tibi Dominus «Deus tuus in omni opere tuo.» Hìc duo decernuntur: 1, ut judæi non exigant usuram à judæis, idest à fratribus suis: 2, ut possint exigere ab extraneis.

6. Quæstio est, quomodò hoc posterius sit intelligèndum? Triplex est opinio: Prima judæorum, qui putant sibi concessum esse à Deo, ut à quolibet extraneo possint usuram exigere sine peccato. Ac proinde, etiam hoc tempore se non peccare, exigendo usuram à christianis et gentilibus. Altera quorumdam theologorum, qui asserunt judæis non quidem concessum, sed tamen permissum esse, ut exigant usuram ab extraneis propter duritiam cordis ipsorum. Ac proinde ipsos quidem peccare usuram exigendo, non tamen per legem Mosaicam puniri. Ratio illorum est, quia usura absolutè, et sine ulla distinctione fratris, vel extranei mala et prohibita est, ut patet Psalm. XIV, 5, et Psal. LIV, 12, et Ezech. XVIII, 8. Ergo non potuit licitè concedi judæis. Potuit tamen permitti, tamquam minus malum ad vitandum majus malum, ne scilicet suos fratres per usuram exhaurirent. Ita D. Thom. in 2, 2, quæst. 78, art. 1 ad 2, et multi alii. Tertia est judæis non tantùm permissum, sed

etiam concessum fuisse exigere usuram à vicinis hostibus, nempè chananæis, amorrhæis, amalecitis; ita ut exigendo non peccarent. Ratio est, quia Deus concesserat illis, ut occiderent vicinos hostes, et eorum bona diriperent. Itaque sicut non peccabant occidendo amorrhæos et chananæos in bello, ita non peccabant accipiendo illorum pecuniam per usuram. Ita Conradus quæst. 24 de contractibus, Medina quæst. 1 de usura, et apertè D. Ambrosius lib. de Tobia cap. 15, ubi inter cætera sic ait: «Cui jure inferuntur arma, huic legitimè «indicantur usuræ.» Item: «Ab hoc usuram exige, quem «non sit crimen occidere.» Item: «Ubi jus belli, ibi etiam «jus usuræ.» Hæ duæ posteriores opiniones sunt probabiles; prima manifestè falsa.

CAPUT XIX.

DE HOMICIDIO, ET CIVITATIBUS REFUGII.

1. Homicidium est duplex: Unum voluntarium quod culpabiliter, alterum involuntarium, quod sine culpa committitur. De priori hìc agam. Posterius pertinet ad civitates refugii, de quibus paulò post. Igitur de homicidio voluntario extat una lex moralis: Exodi XX, 13: «Non occides.» Et una cæremonialis: Deut. XXI, 1: «Si «inventum fuerit cadaver hominis occisi in agro, senio«res urbis vicinæ adducent vitulam ad vallem asperam, «ibique eam mactabunt, ac super eam tenebunt manus «suas, et dicent: Manus nostræ non effuderunt sangui«nem hunc, nec oculi viderunt. Propitius esto populo «tuo Israel, quem redemisti, Domine, et ne reputes «sanguinem innocentem in medio populi tui Israel. Et «auferetur ab eis reatus sanguinis. Tu autem alienus eris «ab innocentis cruore, qui fusus est, cum feceris, quod «præcepit Dominus.» Videantur Interpretes illius loci.

2. Judiciales sunt plures. Prima: «Qui percusserit, et «occiderit hominem, morte moriatur:» (Levit. XXIV, 17.) Secunda: «Non accipietis pretium ab eo, qui reus

«est sanguinis, statim et ipse morietur:» (Numeror. xxxv, 31.)

Tertia: «Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suo-«rum; sicut fecit, sic fiet ei: Fracturam pro fractura, «oculum pro oculo, dentem pro dente restituet. Qualem «inflixerit maculam, talem sustinere cogetur:» (Levit. xxiv, 19.)

Quarta: «Qui percusserit servum suum, vel ancillam «virga, et mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus «erit. Sin autem uno die, vel duobus supervixerint, non «subjacebit pœna, quia pecunia illius est;» q. d.: Emit eos sua pecunia: (Exod. xxi, 20.)

Quinta: «Si rixati fuerint viri, et percusserit quis mu-«lierem prægnantem, et abortum quidem fecerit, sed «ipsa vixerit, subjacebit damno, quantum maritus mu-«lieris expetierit, et arbitri judicaverint. Sin autem mors «ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro anima:» (Ibid. v. 22.)

Sexta: «Si percusserit quis oculum servi sui aut an-«cillæ, et luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro «oculo, quem eruit:» pari modo si dentem ejus excusserit: (Ibid. v. 26.)

Septima: «Facies murum tecti per circuitum, ne quis «ex eo labatur, sisque sanguinis reus:» (Deut. xxii, 8.)

Octava: «Si quem Judices plagis dignum judicent, pro «mensura delicti erit et plagarum modus:» sed numerum quadragenarum non excedet: (Deut. xxv, 2.)

Nona: «Qui percusserit hominem, volens occidere, «morte moriatur:» (Exod. xxi, 12.)

Decima: «Si rixati fuerint viri, et percusserit alter «proximum suum lapide vel pugno, et ille surrexerit, et «ambulaverit foris, innocens erit qui percusserit: ita «tamen, ut operas, et impensas in medicos restituat:» (Ibidem, vers. 18)

DE CIVITATIBUS REFUGII.

3. Levitæ et Sacerdotes, ut cap. 7, q. 6, num. 3 dictum est, habebant quadraginta octo civitates sibi deputatas. Ex illis, sex erant civitates refugii, ad quas,

tamquam ad asylum, confugere poterant illi, qui sine sua culpa homicidium commiserant: (Josue xx, 4, et Numer. xxxv, 11.) Erant autem hæ civitates refugii: 1 Cedes in Nephtali, 2 Sichem in Ephraim, 3 Hebron in Juda, 4 Bosor in Ruben, 5 Ramoth in Galaad, 6 Gaulon in Manasse. Tres primæ citrà, reliquæ trans Jordanem: (Josue xx, 7) Omnes æquali spatio inter se distabant: (Deut. xix, 7.) Omnes sitæ erant in montibus, ut eminus videri possent, excepta Bosor, quæ sola erat in plano, sed tamen patente loco et conspicuo: (Josue xx, 8.) Hic aliqua notanda sunt.

4. Primò ad unam ex his civitatibus, tanquam ad asylum poterat confugere homicida, et coram senioribus illius loci, qui omnes erant Levitæ et Sacerdotes, probare suam innocentiam, id est, se sine sua culpa homicidium fecisse juxta illud Josue xx, 2: «Separate urbes fugitivo-«rum, ut confugiat ad eas quicumque animam percusse-«rit nescius, et possit evadere iram proximi, qui ultor «est sanguinis. Cum ad unam harum confugerit civita-«tum, stabit ante portam civitatis, et loquetur seniori-«bus urbis illius ea, quæ se comprobent innocentem: sic-«que suscipient eum, et dabunt ei locum ad habitan-«dum.»

5. Secundò debebat in aliqua istarum civitatum, ad quam confugerat, manere usque ad mortem summi Pontificis. Quod si ante mortem Pontificis inventus fuisset extra civitatem refugii, poterat interfici à propinquis illius, quem interfecerat: (Num. xxxv, 25.)

6. Tertiò præter sex civitates refugii erat aliud asylum, ad quod confugere poterant homicidæ, nempè altare et Tabernaculum. Eo confugit Joab, qui occiderat Abner et Amasam: (3 Reg. ii, 28:) «Fugit Joab in Ta-«bernaculum Domini, et apprehendit cornu altaris.» Sed quia non erat innocens, jussu Salomonis interfectus est, nec profuit illi asylum, ad quod confugerat: (ibid. vers. 31.) Erat enim lex lata, ut homicida voluntarius abstraheretur ab asylo, et interficeretur: Exod. xxi, 14: «Si quis per industriam occiderit proximum suum et per «insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur.»

7. Quartò sicut judæi poterant perfugere ad asylum,

sic etiam advenæ et peregrini: (Num. xxxv, 15.) Disputant interpretes, an quilibet advenæ et peregrini, etiam gentiles? Affirmant Masius, et Magalianus in cap. 20 Josue. Negant Abulensis, et Serarius ibidem, asserentes advenas et peregrinos ad judaismum conversos, id est proselytos, non autem gentiles et in gentilismo manentes, habuisse hoc privilegium. Nota. Judæi ex genere habebant quædam privilegia propria, quibus carebant proselyti; quædam communia cum proselytis. Propria erant hæc tria: Primum, servus genere judæus anno septimo et quinquagesimo fiebat liber; non autem proselytus: (Levit. xxiv, 39 et sequentibus.) Secundum, judæi gaudebant privilegio remissionis debitorum anno septimo; non autem proselyti: (Deut. xv, 3.) Tertium, judæi non poterant dare ad usuram judæis, sed proselytis: (Deut. xxiii, 19.) Reliqua erant communia. Ita ex Abulensi Cornelius in cap. 35 Num. vers. 15.

8. Quintò, homicidæ voluntarii, ut suprà dictum, non gaudebant privilegio asyli, sed tantùm involuntarii. Excipiebatur unus casus, ut si quis voluntariè occidisset injustum invasorem, vim vi repellendo. Is enim habebat jus asyli; et si probaret suam innocentiam, statim ex loco asyli domum remittebatur, nec tenebatur expectare mortem Pontificis, quia non erat propriè homicida, sed inculpatus vitæ suæ defensor. Ita Abulensis in cap. 20 Josue, q. 5, Serarius ibidem quæst. 2, Cornelius loco citato. Quid autem dicendum de eo, qui in asylo, seu in ipsis refugii civitatibus homicidium perpetrasset? Abulensis ibid. quæst. 19 putat non habuisse jus asyli.

9. Quæres, an etiam christiani habeant aliqua asyla pro homicidis? Respondeo: Habent: sed in multis differunt à judæis: 1. Quia christiani habent asyla jure humano; judæi habent jure divino constituta. 2. Apud christianos omnes ecclesiæ, cœmeteria, cœnobia, domus religiosæ et ecclesiasticæ sunt asyla; apud judæos erant multo pauciora, ut ex dictis patet. 3. Judæi poterant extrahi ab asylo, ut causa eorum examinaretur; christiani non possunt extrahi, ne quidem à judice aut magistratu. 4. Asyla judæorum erant tantùm pro homicidis involuntariis; asyla christianorum pro omnibus fere reis. Excipiuntur nocturni agrorum depopulatores, publici latrones et viarum obsessores: cap. *inter alia*, *de immunitate Ecclesiarum*. Item raptores virginum, proditores, sacrilegi, blasphemi, hæretici, apostatæ, judæi et quotquot in ipsis asylis delinquunt. Vide Serarium in c. 20 Josue, qu. 9.

CAPUT XX.

DE MATRIMONIO VETERIS TESTAMENTI.

1. De matrimonio extant hæ leges in veteri Testamento: Prima: Nemo contrahet matrimonium in gradu prohibito: (Levit. xviii, 6.) Secunda: «Ad mulierem, quæ «patitur menstrua, non accedes:» (ibidem vers. 19.) Tertia: Si unus ex fratribus mortuus fuerit sine prole, uxorem illius accipiet alter frater, et suscitabit semen fratri suo: et primogenitum nomine illius nominabit: (Deut. xxv, 5.) Quarta: Si alter frater noluerit accipere uxorem fratris sui, tunc uxor mortui coram senioribus tollet calceamentum de pedibus ejus, et spuet in faciem illius, dicens: «Sic fiet homini, qui non ædificat «domum fratris tui:» (ibid. vers. 7.) Quinta: Si quis in bello captam mulierem alienigenam adamaverit propter pulchritudinem, et voluerit habere uxorem, introducet eam in domum suam, quæ radet caput suum, et præcidet ungues, et mutavit vestem, et flebit patrem et matrem suam uno mense. Et tunc fiet uxor illius. Si posteà ei displicuerit, non vendet, sed liberam dimittet: (Deut. xxi, 11.) Sexta: Si quis habuerit duas uxores, *unam dilectam*, *alteram odiosam*; et filius odiosæ fuerit primogenitus, dabat ei jura primogenituræ, nec præferet ei filium dilectæ: (ibidem vers. 15.) Septima: «Omnes viri «ducent uxores de tribu et cognatione sua: et cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient, ut hæreditas «maneat in familiis, nec sibi misceantur tribus, sed ita «maneant, ut à Domino separatæ sunt:» (Num. xxxvi, 7.)

2. Circa has leges aliqua examinanda sunt: 1. An ma-

trimonium fuerit præceptum in veteri Testamento? 2. In quoto gradu licuerit, vel non licuerit matrimonium contrahere? 3. An judæi potuerint accipere uxores alienigenas? 4. An potuerint accipere uxores extra suam tribum et familiam? 5. Quæ sit differentia inter matrimonium veteris ac novi Testamenti? Est igitur.

QUÆSTIO I.

An matrimonium fuerit præceptum in veteri Testamento?

1. Ratio dubitandi est: Primò, quia Genes. I, 28, et Genes. IX, 1, præcepit Deus: «Crescite et multiplicamini.» Secundò, quia Deut. VII, 14, similiter præcepit: «Non erit apud te sterilis utriusque sexus.» Tertiò, quia non legimus aliquos in veteri Testamento vixisse cœlibes. Quartò, quia ignominiosum erat non habere prolem, unde vulgare erat omnium axioma: *Maledictus, qui non reliquerit semen in Israel.*

2. Respondeo: Neque naturali, neque divino præcepto singuli in veteri Testamento fuerunt obligati ad matrimonium. Prior pars patet, quia tametsi tota communitas naturali præcepto fuerit obligata, sicut etiam nunc est, conservare se per procreationem prolis, et consequenter per matrimonium; hoc tamen præceptum non obligabat singulos de communitate, sed totam communitatem generatim, ut docet D. Thom. in supplemento, quæst. 41, art. 2. Simile est de agricultura. Nam præceptum naturale est colere agros ad conservandam vitam humanam, non minus quàm procreare prolem: et tamen præceptum illud non obligat singulos; alioquin singuli deberent agros colere, quod est contra communem hominum sensum ac consuetudinem.

3. Posterior pars probatur, quia in veteri Testamento nullum extat divinum præceptum, quod obliget singulos ad matrimonium. Nam illa verba, *Crescite et multiplicamini*, non continent præceptum, sed benedictionem. Nam Deus bis legitur dixisse illa verba hominibus. Semel primis parentibus in paradiso, et semel Noe et filiis ejus post diluvium, cum ex arca egressi essent. Utrisque

dixit post matrimonium jam contractum. Igitur per illa verba non præcepit illis, ut matrimonium contraherent, quod jam contractum erat; sed impertivit illis benedictionem, ut copiosam sobolem procrearent ad multiplicandum genus humanum, quod tunc valdè exiguum erat. Hoc constat ex ipso textu. Nam primò certum est Noe et filios ejus, antequam arcam ingrederentur, habuisse suas uxores: Gen. VII, 7: «Ingressus est Noe, et filii «ejus, uxor illius, et uxores filiorum ejus cum eo in ar«cam propter aquas diluvii.» Secundò certum est eumdem Noe, et filios ejus cum suis uxoribus, peracto diluvio, egressos esse ex arca: Genes. VIII, 18: «Egressus «est ergo Noe, et filii ejus, uxor illius, et uxores filio«rum ejus cum eo.» Tertiò certum est, postquam cum suis uxoribus egressi sunt ex arca, tunc illis dictum esse à Deo: *Crescite et multiplicamini.* Hoc enim disertè habet historia. Unde evidenter sequitur his verbis non contineri præceptum de matrimonio ineundo, quia matrimonium jam initum erat, sed benedictionem in propaganda posteritate. Et hoc significat textus, cum ait: «Be«nedixit Deus Noe, et filiis ejus, et dixit ad eos: Cres«cite et multiplicamini, et replete terram.»

4. Idem dico de primis parentibus; nam matrimonium inter illos statim contractum est, quando Deus ex costa Adæ dormientis formavit Evam. Tunc enim evigilans ex sopore, dixit Adam: «Hoc nunc os ex ossibus meis, et «caro de carne mea. Hæc vocabitur virago, quoniam de «viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem et «matrem, et adhærebit uxori suæ.» Quibus verbis tria indicat: 1. Evam esse uxorem suam: 2. Majus esse vinculum inter virum et uxorem, quàm inter parentes et filios: 3. Hanc conjunctionem, quæ tunc inter ipsum et Evam facta est, fuisse figuram conjunctionis Christi cum Ecclesia; sic enim verba Adami interpretatur Apostolus ad Ephes. V, 32 cum ait: «Sacramentum hoc magnum est: «Ego autem dico in Christo et Ecclesia.» Igitur quod posteà dictum est primis parentibus: *Crescite et multiplicamini*, non continet præceptum de matrimonio contrahendo, sed solemnem benedictionem in propagando humano genere.

5. Similiter illa verba: *Non erit apud te sterilis utriusque sexus*, habent eumdem sensum. Est autem hic sensus: Si custodieritis præcepta mea, dabo vobis benedictionem temporalem, tàm in procreatione liberorum, quàm in aliis rebus. Hoc etiam constat ex textu, qui sic habet: «Si postquam audieris hæc judicia, et custodieris ea, et «feceris, custodiet et Dominus Deus pactum tibi, et mi«sericordiam quam juravit patribus tuis: et diliget te, ac «multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui, et fruc«tui terræ tuæ, frumento tuo, atque vindemiæ, oleo, et «armentis, gregibus ovium tuarum super terram, pro «qua juravit patribus tuis, ut daret eam tibi. Benedic«tus eris inter omnes populos. Non erit apud te sterilis «utriusque sexus, tàm in hominibus, quàm in gregibus «tuis.»

6. Quod autem objicitur, nullum in veteri Testamento fuisse cœlibem, verum non est. Cœlibes fuerunt Melchisedech, Josue, Elias, Elisæus, Jeremias, Joannes Baptista, ut testatur sanctus Ignatius in epist. ad philadelphos. Item Abel frater Cain, ut tradunt Hieronymus, Basilius, Ambrosius, et alii apud Cornelium in cap. 4 Gen. v. 2. Vide Genebrad. in Chronologia.

7. Nec obstat ignominiosum fuisse apud hebræos non habere prolem. Nam hæc ignominia non proveniebat ex virginitate vel cœlibatu, sed ex sterilitate matrimonii. Cum enim Deus promisisset iis, qui in matrimonio vivebant, benedictionem et fœcunditatem sub hac conditione, si custodirent legem Dei, suspicio erat illos puniri à Deo, qui non habebant prolem, tamquam legis transgressores. Quæ erat magna ignominia: Nota. Aliqui in veteri Testamento propter suam culpam non habebant prolem, ita ut sterilitas esset pœna peccati; aliqui sine sua culpa. Prioris generis fuit Abimelech, rex Geraræ, qui non potuit habere prolem in sua familia, propterea quod eripuisset Abrahæ suam uxorem, juxta Genes. xx, 18: «Concluserat Dominus omnem vulvam domus Abi«melech propter Saram uxorem Abrahæ.» Item Michol uxor Davidis, quæ quod derisisset Davidem saltantem coram Arca Domini, mansit sterilis usque ad finem vitæ: (2 Reg. vi, 23.) Item illæ de quibus Oseæ ix, 14: «Da

«eis Domine. Quid dabis eis?» (nempè propter peccata sua.) Sequitur: «Da eis vulvam sine liberis, et ubera «arentia.»

8. Posterioris generis fuerunt sanctæ fœminæ, Sara, uxor Abrahæ, Rebecca, uxor Isaac, Rachel, uxor Jacob, Anna, uxor Elcanæ, Sara filia Raguelis, Elisabet, uxor Zachariæ et aliæ plures. Quæ quidem longo tempore fuerunt steriles, non propter suam culpam; sed ut Deus novo miraculo ostenderet filios, qui ex illis nascerentur, non naturæ viribus, sed Dei beneficio natos esse. Et quamquam supradictæ fœminæ coram Deo non fuerint passæ opprobrium aut ignominiam, quia Deus sciebat sanctas esse, tamen passæ sunt coram hominibus, qui putabant eas à Deo puniri per sterilitatem. Hoc sensu dixit Rachel, postquam peperisset, Genes. xxx, 23: «Abstulit Deus opprobrium meum.» Et Sara filia Raguelis post longam sterilitatem oravit Deum, dicens: «Peto, «Domine, ut de vinculo improperii hujus absolvas me, «aut certè desuper terram eripias me:» (Tob. iii, 15.) Et Elisabeth, ablata sterilitate, cum jam concepisset in utero, occultabat se mensibus quinque, dicens: «Quia «sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit aufer«re opprobrium meum inter homines:» (Luc. i, 25.) Vide Maldonatum ibid. v. 25.

QUÆSTIO II.

In quo gradu licuerit, vel non licuerit contrahere matrimonium in veteri Testamento?

1. Vel, qui gradus consanguinitatis et affinitatis fuerint prohibiti in lege Mosaica? Respondeo: Ex Levit. cap. xviii, colliguntur hæc duo: Primò, ratione consanguinitatis non licebat contrahere cum his: 1, cum patre vel matre: vel, quod idem est, cum filio vel filia: 2, cum sorore: 3, cum amita vel matertera. Secundò, ratione affinitatis non licebat cum his: 1, cum noverca: 2, cum sorore privigna: 3, cum filia aut nepte privigna: 4, cum uxore patrui: 5, cum uxore fratris relicta: (nisi frater reliquisset illam sine prole juxta tertiam regulam suprà

assignatam) 6, cum uxore filii: 7, cum sorore uxoris propriæ, uxore adhuc vivente. Nam si mortua esset uxor, licebat.

2. Quæres: An iidem gradus sint etiam prohibiti apud christianos? Respondeo: Omninò sunt, et præter illos alii plures, ut patet ex Concilio Tridentino sessione vigesima quarta, canone tertio. Et quidem in consanguinitate prohibiti sunt quatuor gradus. Vel, quod idem est, consanguinitas usque ad quartum gradum inclusivè reddit matrimonium invalidum: cap. *Non debet de consanguinitate*. Similiter in affinitate prohibiti sunt quatuor gradus, cap. citato. Nisi quod in Concilio Tridentino, sess. 24, capite quarto statutum sit, ne affinitas ex fornicatione orta extendatur ultra secundum gradum.

3. Hìc pro majori intelligentia duo notanda sunt: Primò consanguinitas est propinquitas duarum personarum orta ex naturali propagatione, quarum vel una descendit ex altera, ut filius ex parente, nepos ex avo, pronepos ex proavo: vel ambæ descendunt ex eadem, ut duo fratres ex eodem patre, duo nepotes ex eodem proavo. Valentia quæst. 5 de matrimonio, puncto 3, §. Cognatio, et alii passim. Affinitas est propinquitas duarum personarum orta ex carnali copula unius cum alterius consanguineo vel consanguinea, sive copula fuerit licita, sive illicita. Quo pacto inter novercam et privignum est affinitas, quia intercessit carnalis copula inter novercam et consanguineum privigni, nempè privigni patrem. Valentia ibidem §. Affinitas. Hinc sequitur gradus affinitatis distinguendos esse per ordinem ad gradus consanguinitatis, ut paulò post clarius explicabo.

4. Secundò ut autem sciatur quoto gradu consanguinitatis una persona distet ab alia, tres regulæ servandæ sunt: *Prima:* In linea recta, quæ est ascendentium et descendentium, tot gradus numerandi sunt, quot numerantur personæ, excepta prima. Itaque filius est in primo gradu consanguineus patri, nepos in secundo, pronepos in tertio et sic deinceps. *Secunda:* In linea transversa, quando utraque persona æqualiter distat ab eodem stipite communi, totidem gradibus distant inter se, quot gradibus distant à stipite. Unde fratres, qui æqualiter

distant à patre, sunt consanguinei in primo gradu; quia quilibet illorum est consanguineus patri in primo gradu. Similiter filii fratrum sunt consanguinei in secundo gradu propter eamdem causam. *Tertia:* In linea transversa, quando utraque persona in æqualiter distat à communi stipite, quot gradibus distat persona remotior à stipite, totidem etiam distat ab altera; unde filius fratris distat à suo patruo in secundo gradu. Hæ tres regulæ valent in jure canonico, et servantur in casibus matrimonialibus. Vide Valentiam loco citato, Bellarminum de matrimonio c. 24 et alios.

5. Ad cognoscendos autem gradus affinitatis tradi solet hæc regula: posita copula carnali inter virum et fœminam, quo gradu aliquis viro consanguineus est, eadem est affinis fœminæ. Et vicissim, quo gradu consanguineus est fœminæ, eodem affinis est viro. Nota. Licet omnes consanguinei viri contrahant affinitatem cum uxore illius: et rursùm omnes consanguinei uxoris contrahant affinitatem cum viro, consanguinei tamen viri et uxoris non contrahunt affinitatem inter se, (capite super his, de consanguinitate.)

6. Jam facilè intelligitur differentia veteris ac novi Testamenti quoad gradus consanguinitatis et affinitatis. In veteri prohibiti erant duo gradus consanguinitatis in linea recta. Primus inter patrem et filiam, vel inter matrem et filium. Secundus inter avum et neptem, vel inter aviam et nepotem: In linea transversa similiter duo. Primus inter fratrem et sororem. Secundus inter nepotem et amitam vel materteram. Non tamen inter neptem et patruum vel avunculum, ut notat Bellarminus cap. 17. At in novo prohibiti sunt quatuor gradus in utraque linea. In recta quidem 1, inter patrem et filiam; inter matrem et filium: 2, inter avum et neptem: 3, inter proavum et proneptem: 4, inter abavum et abneptem. In transversa autem 1, inter fratrem et sororem: 2, inter fratrem et fratris vel sororis filiam; inter nepotem et amitam vel materteram; inter neptem et patruum vel avunculum: 3, inter fratrem et fratris vel sororis neptem; inter pronepotem et amitam vel materteram magnam: 4, inter fratrem et fratris vel sororis pronepotem.

7. Rursùm in veteri Testamento prohibiti erant tres gradus affinitatis. In primò non licebat contrahere cum noverca; cum sorore privigna; cum filia privigna; cum uxore fratris; cum uxore filii; cum sorore uxoris. In secundò cum uxore patrui. In tertiò cum nepte privigna. At in novo prohibetur etiam quartus gradus affinitatis. Itaque non licet contrahere cum sorore avi vel pronepotis.

8. Solet disputari an omnes gradus qui lege Mosaica erant prohibiti, sint etiam jure naturali prohibiti? Respondeo: Non omnes. Nam Ecclesia in quibusdam potest dispensare, ut definit Concilium Tridentinum sess. 24, can. 3. Non posset autem dispensare, si omnes jure naturali essent prohibiti. Qui ergo hoc modo prohibiti sunt? Primò certum est omnes gradus consanguinitatis lineæ rectæ inter ascendentes et descendentes jure naturali prohibitos esse. An autem primus gradus in linea transversa, qui est fratris cum sorore, prohibitus sit, dubium est. Plerique affirmant. Cajetanus negat, quia Cain filius Adami accepit sororem suam in uxorem. Nec peccavit contra jus naturale. Bellarminus cap. 27 componit hanc litem. Ait quidem esse præceptum naturale non contrahere cum sorore, sicut est præceptum naturale non accipere alienum, sed non obligare in extrema necessitate. Sicut ergo licitum est in extrema necessitate accipere alienum panem et comedere; sic etiam licere in extrema necessitate contrahere matrimonium cum sorore. Fuit autem extrema necessitas in principio mundi. Nam Cain non poterat aliam uxorem habere, nisi sororem suam.

9. Secundò probabile est primum gradum affinitatis, qui est inter privignum et novercam, lege naturali prohibitum esse, ut docet Bellarminus loco citato. Et probat ex eo, quia qui contrahebant matrimonium in gradibus lege naturali prohibitis, puniebantur morte: qui autem contrahebant in gradibus lege tantùm Mosaica prohibitis, puniebantur leviori pœna: (Levit. xx.) At contrahentes cum noverca puniebantur morte; ergo verisimile est lege naturali prohibitum esse contrahere cum noverca. Ex dictis sequitur reliquos gradus consanguinitatis et affinitatis, qui lege naturali non sunt prohibiti,

prohibitos tantùm esse lege humana apud christianos; quia tametsi apud judæos prohibiti fuerint lege divina Mosaica, tamen illa lex nunc abrogata est, nec christianos obligat. Secundò sequitur Pontificem in illis omnibus gradibus, qui lege naturali prohibiti non sunt, posse dispensare, sicuti in multis dispensatum est.

QUÆSTIO III.

An potuerint accipere uxores alienigenas?

1. Videtur non potuisse. Primò, quia Deus severè id prohibuit in veteri Testamento: (Exodi xxxiv, 16, Deuteron. vii, 3 et 3 Reg. xi, 2.) Secundò, quia graviter punivit illos, quod contra prohibitionem ipsius accepissent alienigenas post mortem Josue: (Judicum iii, 5 et sequentibus.) Tertiò, quia cum Samson vellet accipere uxorem philistæam, dixerunt ei parentes: «Numquid non «est mulier in filiabus fratrum tuorum, et in omni popu«lo meo, quia vis accipere uxorem de philistiim, qui in«circumcisi sunt?» (Judicum xiv, 3.) Quibus verbis significabant non licere accipere uxorem gentilem. Quartò, quia juxta septimam legem superius assignatam omnes viri debebant ducere uxores ex sua tribu et cognatione.

2. Sed contra est: Primò, quia lex quinta superius assignata concedebat illis, ut acciperent alienigenas in bello captas. Secundò, quia multi acceperunt alienigenas, sine ulla culpa aut reprehensione. Sic Jacob accepit filias Laban idololatræ: (Genes. xxx, 26.) Joseph filiam Putipharis ægyptiam: (Genes. xli, 45.) Moyses filiam Jethro æthiopissam: (Exod. ii, 21.) Mahalon et Chelion uxores moabitidas: (Ruth. i, 4.) Similiter Booz Ruth mohabitidam: (Ruth. iv, 10.) Salmon Rahab chananæam: (Matth. i, 5.) Samson philistæam: (Judic xiv, 2.) David filiam regis Gessur: (2 Regum iii, 3.) Salomon filiam Pharaonis regis Ægypti: (3 Reg. iii, 1.) Denique Esther nupsit Assuero regi persarum, qui erat gentilis: (Esther ii, 17.)

3. Respondeo cum distinctione: Ordinariè non lice-

bat judæis accipere uxores alienigenas seu gentiles; extraordinariè licebat in tribus casibus: Prior pars patet, quia erat illis prohibitum propter periculum subversionis et idololatriæ. Hoc patet ex locis citatis: Exodj xxxiv, 16: «Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis: ne, «postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant et «filios tuos in deos suos,» id est, ne sint illis occasio idololatriæ: et Deut. vii, 3: «Nec sociabis cum eis con«jugia. Filiam tuam non dabis filio ejus: nec filiam il«lius accipies filio tuo; quia seducet filium tuum, ne se«quatur me, et ut magis serviat diis alienis:» 3 Reg. xi, 2: «Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingre«dientur ad vestras: certissimè enim avertent corda ves«tra, ut sequamini deos earum.» Quæ testimonia intelliguntur potissimum de fœminis chananæis, quarum terram possessûri erant judæi. Et quia post mortem Josue contempserunt hanc prohibitionem, meritò à Deo puniti sunt juxta illud Judic. iii, 5: «Filii Israel habitaverunt «in medio chananæi, et hethæi, et amorrhæi, et phere«zæi, et hevæi, et jebusæi, et duxerunt uxores filias «eorum, ipsique filias suas filiis eorum tradiderunt, et «servierunt diis eorum. Feceruntque malum in conspectu «Domini, et obliti sunt Dei sui servientes Baalam et As«taroth. Iratusque contra Israel Dominus tradidit eos in «manus Chusan Rhasathain regis Mesopotamia, servie«runtque octo annis.»

4. Posterior pars probatur, quia extraordinariè poterant accipere uxores gentiles in his tribus casibus: Primò, si uxores, relicto gentilismo, converterentur ad cultum veri Dei. Tunc enim cessabat periculum subversionis et idololatriæ. Sic conversa fuit Ruth moabitis, sic Rahab, sic aliæ plures; et hoc sensu concessum fuit accipere alienigenas bello captas: (Deut. xxi, 11.) Non enim fuit concessum, nisi prius raso capite, præcisis unguibus, mutata veste, defleto patre et matre. Nam per hujusmodi cæremonias significabatur, quod prius deberent ejurare ritus et mores patriæ, ac præcipuè cultum falsorum deorum. Vide Serar. in cap. 6 Josue, in quæstio. 50.

5. Secundò, si Deus excitaret aliquem judæum, ut

acciperet uxorem gentilem, etiam in gentilismo permanentem. Sic excitavit Samsonem, ut acciperet philistæam; quod parentes illius ignorabant juxta illud Judic. xiv, 4: «Parentes autem ejus nesciebant quod res à Domino fie«ret, et quæreret occasionem contra philistiim.» Sic excitavit Estherem, ut nuberet Assuero regi gentili, quia ex tali matrimonio multa bona toti judæorum genti erant obventura.

6. Tertiò, si esset aliqua necessitas vel urgens causa, cur acciperent uxores alienigenas. Sic excusari poterant Mahalon et Chelion, accipiendo uxores moabitidas. Erant enim juvenes in fervore ætatis, erant in aliena patria, erant egentes et famelici. Nullum apparebat remedium, vel contra fervorem libidinis, vel contra famem et egestatem, nisi ducerent uxores illius loci, à quibus sustentarentur. Unde Rupertus lib. 1 Matth.: «Mahalonem non «lex justificat, sed necessitas excusat, scilicet fames, «quæ fuerat, et propter quam, ut Scriptura refert, abiit «homo de Bethlehem:» et ibid: «Nisi necessitas illos ex«cusaret, nec ipsi uxores ducere debuissent moabiti«das.» Quo etiam spectat illud Valentiniani Imp. in Novellis, L. 22 Theodosiani codicis: «Nihil turpe, nihil «vetitum credit esuriens. Sola cura est, ut qualicumque «sorte vivatur.» Vide Serarium in cap. 1 Ruth., qu. 11.

7. Porrò, an omnes illi, quos ante diximus accepisse uxores gentiles, potuerint excusari uno illorum casuum, non est hujus loci disputare. Constat aliquos excusari potuisse, ut jam dictum est: Salomonem non potuisse, ut patet 3 Reg. xi, 1 et seqq. De reliquis disputant suo loco interpretes. Quod ultimo loco objiciebatur, viros debuisse ex sua tantùm tribu et cognatione accipere uxores, jam examinandum est.

QUÆSTIO IV.

An judæi potuerint accipere uxores extra suam tribum et cognationem?

1. Dictum est ordinariè non potuisse accipere uxores gentiles, sed tantùm hebræas. Nunc quæstio est, an pro-

miscuè potuerint accipere hebræas ex quacumque tribu? An verò necesse fuerit unumquemque accipere ex sua tribu, et non ex alia? Ratio dubitandi sumitur ex illa lege, quam suprà allegavi: «Omnes viri ducent uxores «de tribu et cognatione sua: et cunctæ fœminæ ab eadem «tribu maritos accipient: ut hæreditas permaneat in fa«miliis, nec sibi misceantur tribus: sed ita maneant, ut «à Domino separatæ sunt:» (Num. xxxvi, 7.) Quæ sane lex, si spectemus verba, videtur fuisse generalis; ita ut non licuerit contrahere matrimonium extra suam tribum aut cognationem. Et sic sentiunt Lyranus et Abulensis in illum locum, et Turniellus in Annalibus, anno mundi 2583, num. 31: nisi quod excipiant Levitas. Nam illa lex propterea lata est, ne paternæ hæreditates per matrimonia diversarum tribuum de una tribu in aliam transferrentur; sed singulæ hæreditates manerent in suis tribubus. At Levitæ non habebant paternas hæreditates, nec ullius alterius hæreditatis erant capaces; ac proinde non fuissent translatæ hæreditates ex una tribu in aliam, etiamsi Levitæ contraxissent matrimonia cum hominibus aliarum tribuum.

2. Alii probabiliter putant non fuisse legem generalem, sed tantùm obligasse eas fœminas, quæ succedebant in hæreditatem patris propter defectum masculæ prolis. Et similiter eos tantùm viros, qui tales fœminas ducebant in matrimonium. Hujusmodi enim viros ac fœminas debuisse esse ejusdem tribus et cognationis. Ita Burgensis, Cajetanus, Oleaster, Vatablus, Cornelius in cap. 36 Num. Ratio sumitur ex occasione illius legis, quæ fuit hujusmodi. Deus dederat duplex præceptum Moysi in deserto: unum, ut filii Israel, quando venirent in terram promissionis, sorte eam dividerent, et unaquæque tribus ac familia haberet suam certam portionem ac hæreditatem, excepta tribu Levi. Alterum, ut si aliquis paterfamilias moreretur sine filiis, filiæ essent hæredes: (Num. xxvii, 8.) Contigit posteà, ut Salphaad, qui erat de tribu Manasse, moreretur sine filiis, et relinqueret tantùm filias. Itaque filiæ erant hæredes. Hinc oriebatur quæstio, an istæ filiæ possent nubere maritis aliarum tribuum? Nam si nuberent, hæreditas illarum erat

transitura ad alias tribus. Sin minus, non erat libertas nubendi, quibus vellent. Igitur ad hanc quæstionem respondit Deus per Moysen, ut non nuberent, nisi in sua tribu; ne si extra suam tribum nuberent, hæreditas ad alias tribus derivaretur. Hæc autem responsio non erat generalis, sed pertinebat ad eas tantùm fœminas, quæ erant hæredes suorum parentum: ad alias minimè.

3. Hæc sententia dupliciter confirmari potest. Primò ex hebræo textu, qui sic habet: «Omnis fœmina hæredi«tatem, nubet uni ex tribu sua.» Deinde exemplo eorum, qui, quod isto casu non comprehenderentur, extra tribum contraxerunt matrimonia. Sic David, qui fuit de tribu Juda, duxit Michol, filiam Saulis, de tribu Benjamin. Sic filii Israel jurarunt, quod non vellent filias suas dare benjamitis: (Judic. xxi, 1.) Ex quo colligimus solitos id anteà facere. Sic denique omnes illi, quos suprà diximus accepisse uxores gentiles seu alienigenas.

QUÆSTIO V.

Quæ sit differentia inter matrimonium veteris, ac novi Testamenti?

1. Respondeo: Unum differt ab altero, sicut Synagoga ab Ecclesia: vel sicut matrimonium Abrahæ cum ancilla, à matrimonio ejusdem cum libera: vel generatim sicut umbra imaginis ab ipsa imagine. Nam sicut Synagoga fuit imperfectior, quàm Ecclesia; et matrimonium cum ancilla imperfectius, quàm cum libera; et umbra imaginis imperfectior, quàm ipsa imago: ita matrimonium Mosaicum fuit imperfectius, quàm matrimonium nostrum. Et quidem multis modis.

2. Primò, quia nostrum matrimonium est Sacramentum à Christo institutum, quod confert gratiam, sicut Baptismus, et alia Sacramenta. Trident. sessione 24, canon. 1. D. Thomas in supplemento, quæst. 24, art. 1 et 3, et alii passim. At Mosaicum non fuit Sacramentum. Itaque duo spectanda sunt in nostro matrimonio: 1, contractus civilis: 2, ratio Sacramenti, quæ contractui supervenit. In priori convenit cum Mosaico; in posteriori differt.

3. Secundò Mosaicum poterat dissolvi per libellum repudii, ut dicam cap. 53; nostrum non potest hoc modo dissolvi: Trident. can. 5 et 7. Sicut synagoga à Deo repudiata est; Ecclesia nunquam repudiabitur. Et hoc aptè significatur per Abraham, qui repudiavit Agar, quæ erat ancilla; non autem Saram, quæ erat libera.

4. Tertiò Mosaicum admittebat polygamiam; nostrum non admittit. Itaque licebat per legem Mosaicam habere plures simul uxores, cap. sequenti: per Evangelicam non licet: Trident. can. 2. Sicut Deus in veteri Testamento non solùm habebat filios adoptivos et synagoga, sed etiam ex gentilitate: at in novo nullum habet, nisi ex Ecclesia, quam solam agnoscit pro sua sponsa.

5. Quartò in Mosaico duo tantùm gradus consanguinitatis, et tres affinitatis erant prohibiti; in nostro plures: suprà quæst. 2, num. 6 et 7. Quintò Mosaicum, ut plurimum, debebat contrahi inter virum et fœminam ejusdem tribus; nostrum non astringitur ad tribum. Sextò in lege Mosaica frater debebat accipere uxorem fratris sui defuncti, si mortuus esset sine prole; in Evangelica nulla talis est obligatio.

6. In eo tamen conveniunt, quod sicut juxta legem Mosaicam non licebat contrahere matrimonia cum infidelibus et idololatris: ita juxta Evangelicam non licet cum infidelibus et hæreticis: hoc interest, quod si christianus contrahat cum fœmina infideli non baptizata, matrimonium sit irritum: si cum hæretica, sit quidem illicitum non tamen irritum.

CAPUT XXI.

DE POLYGAMIA.

1. Polygamia idem est, quod pluritas uxorum: est ergo quæstio, an in veteri Testamento licuerit uni viro habere simul plures uxores? Ratio dubitandi est, quia nec Adam, nec ullus alius ab initio mundi usque ad diluvium habuit simul plures uxores, nisi solus Lamech:

(Genes. IV, 19.) Qui idcircò reprehenditur à Nicolao Papa in Epist. ad Lotharium regem, ubi illum vocat adulterum, cap. annon. 24, quæst. 3. At si licuisset habere plures, cur Lamech eo nomine reprehenderetur? Cur nullus alius ex tot millibus virorum, qui vixerunt ante diluvium plures habuit?

2. At contrà est, quia multi sancti viri post diluvium polygamia usi sunt; quod non fecissent, si fuisset prohibita. Nam Abraham habuit duas uxores, Saram et Agar: Jacob duas, Liam et Rachelem: Elcana duas, Annam et Phenennam: David plures, Achinoam, Abigail, Maacha, Aggit, Abital, Eglam, Bersabee, Michol. Et sic deinceps.

3. Respondeo: 1. Polygamia repugnat primæ institutioni matrimonii, quæ à Deo facta est in paradiso. 2. Repugnat etiam aliquo modo legi naturæ. 3. Deus tamen concessit, ut post diluvium liceret habere plures uxores, quod ante diluvium non licebat. 4. Hæc concessio, quam alii dispensationem vocant, confirmata est per legem Mosaicam. 5. Sed revocata per Evangelicam, quia Christus in Evangelio reduxit matrimonium ad primam institutionem, ita ut non amplius liceat habere plures simul uxores. Hæc singula confirmanda sunt per totidem conclusiones.

CONCLUSIO I.

Polygamia repugnat primæ institutioni matrimonii, quæ à Deo facta est in paradiso.

4. Sic docent Hieronymus, Chrysostomus, Theophilactus, Beda, Anselmus in cap. 19 Matt., Ambros. in lib. de Viduis circa finem, August. lib. 1 de nuptiis et concupiscentia cap. 9, asserentes matrimonium initio institutum fuisse inter unum et unam, et consequenter exclusam polygamiam. Quod dupliciter probari potest: Primò ex Scriptura, quæ utitur numero singulari: Genes. I, 27: «Masculum et fœminam creavit eos.» Et cap. II, 24: «Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ: et erunt duo in carne una.» Non dixit in